

Illacrymans, Quidnam verò tua Claudia tandè
Est experta mali, cunctis qua libera curis.

Est calo meliore sui iam parte potita,

Altera dum tumulo rursus victura quiescit?

Quinam igitur iustè qua viua optaueris illi,

Vita huius cursu doleas concessa peracto?

Quod si non illam, tua sed tu incommoda defles,

Sic caue ne te ipsum, non illam, forsam amaris,

Tute tibi fueris quam Claudia charior ipse,

Quem tua damna magis, quam illius commoda
tangant!

Nec te ideò lugere veto, quod Mortis imago

Exertâ ceu voce iubet, firmantq; piorum,

Ipsiusq; adeò perfecti exempla Magistri.

Nec gerit ille hominis pectus, qui vincula vera

Prorsus amicitia, nedum qua numinis ipsa

Legitimi constricta manu sunt fœdera lecti,

Luminibus siccis abrupti posse putarit.

Et certè quantò est multis pretiosius istud

Coniugij donum verè caeleste beati,

Certius est tantò diuini pignus amoris,

Dissolui quod vix sine vulnere possit acerbo:

Siue suos Deus exploret, seu vindice àextra

Donorum indignos sic vlciscatur abusus.

His doctus monitis, sic attamen ipse dolebis,

Beza, quidem, at certa ratione, modoq; dolebis

Et tua despiciis deinceps quid postulet aetas.

H